AD QVODLIBETARIAM,

QVÆSTIO MEDICA, MATVTINIS DISPVTATIONIBVS

DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS TERTIA DECEMB. MAGISTRO FRANCISCO GVENAVLT, DOCTORE MEDICO, MODERATORE.

An epilepſiæ ætatis mutatio?

CONTRARIORVM ſubiectum idem. Homo fœlicitatum omnium capax, miſeriarum ſubiectum primum. Fœlicitas ſumma ſanitas perfecta; maxima miſeria morbus. Hic vnicam, plures, omnes interdum partes occupat. Idem quouis anni tempore, cuiuslibet ætatis & regionis hominem inuadit. Quæuis ætas & regio ſuos habet congeneres morbos; quælibet tẽpeſtas ſuos. Hyems pleuritides, peripneumonias, lethargos, grauedines, raucedines, tuſſes, cephalalgias, vertigines, apoplexias. Ver lepras, impetigines, vitiligines, puſtulas vlceroſas, tubercula, articulorum dolores. Æſtas febres continuas & ardentes, tertianas, vomitiones, alui profluuia. Autumnus lienis tumores, vrinæ difficultates, febres quartanas & erraticas, inſaniam, melancholiam, epilepſiam, in quâ nihil diuinum, nihil occultum.

HÆC, nobilem humani ingenij arcem, eiúſque loculos inuadens, cum mentis & ſenſuum læſione periodicâ, totam corporis molem (quibus ab ἐμπροσθοτόνῳ, ὀπισθοτόνῳ & τετάνῳ, diſtinguitur) in affecti principij conſenſum trahit ac conuellit. Nec modo vno, ſed quibus poteſt inſidijs exitium homini machinatur: modò cauſæ morbificæ in ipſómet cerebro congeſtione ob propriam ipſius intemperiem: modò eiuſdem à cæteris partibus propagatione, aut ſimplici ipſius cerebri cum illis communicatione. Illa idiopathica, hæc (cuius quàm illius curatio facilior) ſympathica nominatur.

FRIGIDVM cerebro neruoſíſque partibus inimicum Id ſeu natiuum ſeu occurſans extrinſecus, frigidiora edulia, ſomni longiores, otioſi torpores, ſuppreſſæ ſolitæ euacuationes hunc affectum creare ſolent, cuius velox generatio, citáque diſcuſſio craſſum humorem ſpirituum meatus ac cerebri ventriculos (quorum potiùs quàm ipſius parenchymatis affectus eſt) obſtruentem arguit, neruorum principio ſeipſum quatiente quô moleſtum excutiat; Nullus hîc ariditati; nullus inanitioni locus. Quòd ſi temperamenti accedat immutatio, ac humidum in ſiccum, frigidum degeneret in calidum quidni benè? vt nulla contingat frigidi humoris generatio, aut iam genitus coquatur, diſſipetur, euacuetur.

EPILEPSIA correpti non ſentiunt quicquam, loquuntur, vident, audiunt. His diſtorquentur oculi, calcitrant pedes, brachia contrahuntur. Quòd ſi eò proceſſerit malum, vt cadentes clament, dentibus ſtrideant, ſpument, inuoluntariè ſtercus, vrinam, ſemen emittant, & nerui reſoluantur conclamatum eſt. Quibus à puero morbus contigit ſimúlque ad virilem ætatem peruenit difficiliùs liberantur: tùm quibus corpore in ætatis vigore conſtituto, accidit: mox, vbi incerta pars eſt à quâ morbi cauſa procedat. Quòd ſi à capite, latere, manu aut pede, facilior erit ſanatio; à pede aut manu facilis; à latere difficilior; à capite difficillima: facilior tamen ſi æger ætatem cum hac verò temperiem permutarit.

HVIC ante omnes obnoxij ſunt pueri (ac inter hos recens in lucem editi, qui vt plurimùm moriuntur) poſt hos adoleſcentes; ab his ætate conſtantes; minimè omnium ſenes & decrepiti. Cui ſoluendo non amuleta, ſcripta, figuræ, characteres, ter inſuſurrata tria carmina, annuli ex Alces vngula, non balnea vſquam profuere. Sed digerentia, incidentia, reuellentia. Reuellunt clyſteres, venæ ſectio, cauteria ſuperiori ceruicis parti admota, extremorum frictiones, vincula dolorifica, cucurbitulæ ſcapulis appoſitæ. Incidunt ſyrupus de Hyſſopo & de ſtœcade. Digerunt oleum rutaceum, irinum, anethinum; quibus nihil proficientibus ſola proderit ætatis mutatio.

Ergo epilepſiæ ætatis mutatio.

Aſſerebat LVDOVICVS ROBILLART Pariſinus, anno R. S. 1615.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Gabriel Biart
M. Joannes Degorris Med. Reg.
M. Renatus Chartier Med. Reg.
M. Ffranciſcus Placet.
M. Andreas du Chemin.
M. Georgius Arbault.
M. Quirinus le Vignon Decanus.
M. Dionyſius Guerin.
M. Guillelmus de Baillou.